copule commemorationem esse faciendam. que legis serie veta
batur. Non quia ex legitima salvator generatione manavit. unde
videtur esse deforme. nisi ad apostolicam sententiam revertaris. quia lex non est
iustis posita sed iniustis. Hec enim cum sit alienigena et moabi
tis. presertim cum lex moysi prohiberet has nuptias moabitas
quoque excluderet ab ecclesia. sic enim scriptum est. moabite non introi
bunt in ecclesiam domini usque ad tertiam et quartam generationem et
usque in seculum. quomodo intravit in ecclesiam. nisi quia sancta et immaculata
moribus super legem facta est. Si enim lex impiis et peccatoribus po
sita est. utique ruth que diffinitionem legis excessit. et intra
vit in ecclesiam. et facta est israhelitis. et meruit inter maiores domi
ni generis computari. propter cognationem mentis electa non corporis.
magnum nobis exemplum est. quia in illa nostrum omnium qui collecti ex
gentibus sumus. ingrediendi in ecclesiam domini figura precessit.
Hanc igitur emulemur. ut quia hec moribus hanc prerogativam me
ruit adsciscende societatis sue sicut hystoria docet. nos quoque
propter morum electionem in ecclesiam domini meritis suffragantibus al
legamur. Etenim cum israhelitas in diebus iudicum superioribus fames
temporibus urgeret. a bethleem civitate iude in qua natus est
christus abiit vir colere in agro moab. cum uxore et duobus fi
liis. elimelech viro nomen. mulieri noomin. Filii eius acce
perunt sibi uxores moabitidas. nomen uni orpha. et nomen
secunde ruth. et inhabitaverunt illic quasi decem annis. et mor
tui sunt. Sed derelicta mulier a duobus filiis et viro proprio destitu
ta. cognito quod deus visitaret israhel. regredi domum parans ce
pit suadere ut domum propriam repeterent uxores filiorum suorum.
Una recessit. ruth vero cum socru mansit. Cui cum diceret socrus. ec
ce iam consponsata tua ad populum suum regressa est et ad deos
suos. et tu revertere pariter cum consponsata tua. respondit
ruth. Non contingat mihi dimittere te et redire ad deos meos. quia